



The Holy See

PAULUS PP. VILITTERAE APOSTOLICAE*AMOENA IN REGIONE**TITULO AC PRIVILEGIIS BASILICAE MINORIS ECCLESIA SANCTI MARTINI VOLGO «S. MARTINO DELLE SCALE» APPELLATA, PROPE PANORMUM, DECORATUR.

Ad perpetuam rei memoriam. — Amoena in regione, quae Panormum circumiacet, supra parietinas veteris monasterii anno DCCCXXVII a Saracenis deleti, Benedictini Sodales anno MCCCXLVII aedem Sancto Martino sacram et continens exstruxerunt coenobium. Ut autem divinorum rituum nitore et adaucto monachorum numero prospiceretur, haec, quae nunc conspicitur, ecclesia, amplitudine insignis, nobilis opere, anno MDLXI fuit aedificata. Quam Clemens PP. VI, Decessor Noster rec. mem., abbatialis templi nomine decoravit. Habent ibi admirationem imagines eleganti manu pictae et sculptae, marmora varia et pretiosa, scamna chori artificiiis referta. Haec igitur ecclesia, clara ex genere structurae et ex ornamentis, tantam videtur praeferre maiestatem, ut «regiae domus», id est Basilicae, appellatio ei merito tribuatur. Quod ut faceremus, Dilectus Filius Noster Ernestus Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyter Cardinalis Ruffini, Archiepiscopus Panormitanus, qui monachorum etiam ac fidelium vota significavit, Nos est precatus. Quam flagitationem, a Venerabili Fratere Ferdinando Antonelli, Archiepiscopo titulo Idicensi, Sacrae Rituum Congregationis Secretario, Nobis relatum, benigne audientes, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum templum Sancti Martini, quod vulgo «San Martino delle Scale» vocitatur, ad honorem ac dignitatem *Basilicae Minoris* evehimus, omnibus adiectis iuribus ac privilegiis, quae ecclesiis eodem nomine donatis rite competunt. Contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIV mensis Novembris, anno MCMLXVI, Pontificatus Nostri quarto.

HAMLETUS I. Card. CICOGNANI

*A.A.S., vol. LIX (1967), n. 3, p. 219

© Copyright 1966 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana